

No. 538. 1362. 9. Jan.

*Die Burggrafen Meinher und Berthold eignen der Domkirche Geldzinsen in Sörnewitz zu Begehung des von Hermann von Neustadt gestifteten Festes der Empfängnis Mariä.*

In nomine domini amen. Bonum pium etc. Hinc est, quod nos Meynherus et Bertholdus dei gratia burgravii sacri imperii in Mysna et comites in Hartinsteyn recognoscimus — quod cum honorabilis vir dominus Hermannus de Nova Civitate perpetuus vicarius ecclesiae Mynensis et plebanus in inferiori Ebirsbach sex solidos grossorum latorum cum VIII grossis, cum pullis et ovis annui census siti in villa Sörnewicz prope Albeam districtus Haynensis, quem censum singulis annis solvunt, solverunt et solvere consueverunt infra scripti rustici in eadem villa residentes, Johannes dictus Alke, gener Nicolai Lesten de uno manso XLIII grossos partim in festis beatorum Egidii et Martini, duos pullos Martini et mediam sexagenam ovorum in festo paschae, Tyczko dictus Setheler de medio manso et de quadam particula agri dicti gemeyne XXXVI grossos similiter in festis praenotatis, unum pullum in festo beati Martini et XV ova in festo paschae, apud strenuum virum Apeczkonem dictum Gesir et suos heredes pro parata sua pecunia, iusto emptionis et venditionis titulo interveniente sibi integraliter persoluta pro erectione sollempnitatis festi conceptionis beatae Mariae virginis in ecclesia Mynensi cathedrali perpetuis temporibus sollempniter peragendi comparasset. Quem quidem censum dictus Apeczko Gesir, constitutus coram nobis in manus nostras libere resignavit, renuntians cum fratribus heredibusque suis omni iuri et actioni ac cuicumque legis auxilio ac beneficio, quae sibi aut cuilibet eorum competere in eodem censu et bonis seu competere possent in futurum, et per quae possent contra emptionem, resignationem et renunciationem praedictas venire in toto vel in parte. Et quia dictus dominus Hermannus memoratum censum cum aliis obventionibus sibi conferri nomine ecclesiae Mynensis — humiliter petivit ad usum infra scriptum, videlicet quod III<sup>or</sup> solidi grossorum canonicis integratis et emancipatis inclusa decima hospitalis in sollempnitate primarum vesperarum et missae ipsius conceptionis beatae Mariae virginis tunc praesentes existentibus, et vicariis perpetuis ac temporalibus duo solidi grossorum, duo grossi tantum domino custodi in restaurum luminarium, I grossus si bene cantaverit rectori scholarium de portione dominorum canonicorum<sup>1)</sup>, si in omnibus huius festi horis praesens fuerit, duo grossi campanatori pro pretio suo, unus vero grossus calcantibus in organis annis singulis in dicto festo debeant ministrari. Ad tempora vero vitae suae dictus dominus Hermannus praefatum censum, si voluerit, suis usibus applicabit, obventiones vero communis ministrator, qui pro tempore fuerit cum tribus grossis residuis<sup>2)</sup> pro suo labore obtinebit. Nos igitur animadvertentes devotionem et sollempnitatem dicti festi conceptionis beatae Mariae virginis in praefata Mynensi ecclesia cathedrali per memoratum dominum Hermannum de novo et originaliter cum tota sollempnitate sub duplici officio et maiori praepulsatione erigendi ac etiam peragendi — praefatum censum —

1) Die Worte *duo grossi tantum*, dann *si bene cantaverit*, endlich *de portione dom. canonicorum* sind, nachdem Rasuren vorgenommen worden, von einer andern Hand eingeschaltet. 2) Die Worte *cum tribus grossis residuis* von späterer Hand eingeschaltet.